



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorm Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

Parisiis, 1644

Concilium Capvanum, Quo Henricus V. Rex Germaniae, quartusque eius nominis imperator, vna cum Mauritio Burdino antipapa, qui se Gregorium VIII. nominabat, excommunicatur, anno Domini MCXVIII. tempore ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-15588

ANNO
CHRISTI
1118.

CONCILIVM CAPVANVM,
QVO HENRICVS V. REX GERMANIÆ,
quartusque eius nominis imperator, vna cum Mau-
ritio Burdino antipapa, qui se Gregorium VIII. no-
minabat, excommunicatur, anno Domini M^CXVIII.
tempore Gelasii papæ II.

NOTA.

^a *Concilium.*] Occasionem & acta huius synodalis congregationis apud Capuam celebratæ Vrspergensis in chronico enarrat his verbis: *Henricus imperator, dum Padanis regionibus immoraretur, audito transitu apostolici Paschalis, Romam properauit: & primo quidem in electione domini Ioannis, qui & Gelasius II. dictus est, assensum præbens, postea vero, eodem a sua se communionem subtrahente, non sine quorundam Romanorum favore alterum quemdam Burdinum ex Hispania superuenientem apostolica sedi imposuit; sicque schisma, quod iam sperabatur emortuum, crudeliter reuixit. Nam eodem Romana cathedra libere potito, Gelasius cum his qui secum abierant cardinalibus, ceterisque catholicis, quos congregare poterat, apud Capuam, iuxta quod literæ ab ipso circumquaque transmissæ testantur, Casarem vna cum idolo suo damnavit.*

Occasio &
acta Con-
cili quæ.

CONCILIVM COLONIENSE,
QVO PER CONONEM LEGATVM SEDIS
apostolicæ, excommunicatio in Henricum regem
lata promulgatur, anno Domini M^CXVIII. tempore
Gelasii papæ II.

NOTA.

^a *Concilium.*] *His temporibus, inquit Vrspergensis in chronico, Cono Prænestinus, adhuc legatione Gelasii functus, Synodum Colonia cum Teutonicis habuit, ubi imperatoris omnimodis excommunicationem propalauit. Huic Concilio interfuit Nortbertus postea Præmonstratensis ordinis institutor, tunc autem nouiter conuersus in peregrino habitu: ibique ab omnibus in multis accusabatur, de quibus se prudenter excusabat. Vnde & scriptum legitur de eo, quod de Ismael: Quia manus horum omnium contra eum, vt ipse contra hos omnes. Hæc Vrspergensis.*

Impera-
toris ex-
communi-
catio de-
nuntiatur.
Nortbertus
accusatur
& defendi-
tur.

Genes. 16.